V c
3654

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-279148-p0001-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-279148-p0002-3

L. 2, 89.

Vc 3654

DE

IOH. GEORGIO I. FILIARVM RATIONIBVS PRAGENSI FOEDERE PROVIDENTE

DISSERIT,

AD

IOHANNIS GOTTLOB PLAZII,

CANCELLARII HVIVS LVSATIAE

RENOVANDAM MEMORIAM,

DIE II. MAII, CIƆIƆCCLXXVIIII. A II.

MAGNIFICVM VRBIS SENATVM,

CETEROSQVE LAVDVM NOSTRARVM

FAVTORES EGREGIOS,

SVMMA HVMANITATE, PARI OBSERVANTIA

INVITAT

M. CHRISTOPHORVS HIEREMIAS ROSTIVS,

RECTOR.

BVDISSAE,

LITTERIS VIDVAE IOHANNAE ELEONORAE SCHOLZIAE

BIBLIOTHECA PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-279148-p0003-9

Cæſarem Auguſtum, ferunt, cum in Armeniam dimiſiſſet Caium nepotem ex filia, eum bonis votis atque ominibus proſecutum, ac precatum Deos, vt ei Pompeii beneuolentia, Alexandri virtus, et ſua ipſius felicitas contingeret; adeo non pœnitebat Imperatorem, quanta fortuna vſus eſſet per omne tempus vitæ, vt ipſe eandem prædicare quodammodo, et populi Romani de ſe exiſtimationem confirmare ita non dubitaret. Enimuero quanquam ſane magna et inuſitata fuit Octauiani felicitas; tamen hominis omnino fuit, id eſt, nec ſolida, nec perfecta omnibus numeris: cuius rei fidem facile cuiuis fecerint, quæ de rebus eius aduerſis Plinius Hiſtoriæ Naturalis VII. 45. plurima commemorat, ex quibus nihil æque grauiter tulit, ac dedecora ſuorum, inprimis filiæ, quam tanto odio habuit propterea, vt deprecanti populo Romano, et pertinacius inſtanti, *tales filias*, pro concione, vt apud eſt Suetonium 65. ſit imprecatus. Feliciorem Auguſto dicere poſſumus cum ceteris rebus, tum hoc maxime nomine, Iohannem Georgium I. cuius memoriæ Saxonia hæc atque Luſatia incredibiliter fauet, qui præter ſeptem filios, filias tres, præſtantes illas forma, ex Magdalena Sibylla, Pruſſica, ſuſceperit, ſuſceptas ad pietatem et caſtitatem educarit, educatas denique nobiliſſimis atque eminentiſſimis Principibus Germanis collocarit. Neque vero diſſimulauit Optimus Pater, quantopere ſibi natæ ex ſeſe, et quam ſine exceptione probatæ eſſent, ſed potius præ ſe tulit, et multis modis atque temporibus planiſſime demonſtrauit. Nunquam autem id factum eſt clarius et apertius, quam in pacificatione Pragenſi, anno CIↃIↃCXXXV. de qua nunc deinceps noſtro more diſſeremus.

Igitur ſciri debet, iſtam pacificationem duabus partibus conſtare, fœdere ipſo, et pactis aliquot ſingularibus (*Neben-Receſſe*). Ac fœdus ipſum vnice ſpectabat ad pacandam Germaniam, et vt exſurgeret iacens ac proſtrata respublica, et in aliquo ſtatu conſiſteret. Sed tamen euentus non fuerunt, quos exſpectauerant. Namque bellum inteſtinum ac domeſticum, quod ſic ſatis compoſitum eſſe videbatur, poſt hominum memoriam maximum atque crudeliſſimum, reuixit quaſi maiore flamma, eoque arſit pulcerrima hæc patria vſque ad CIↃIↃCXXXXVIII. quo anno incendium illud totius propemodum Germaniæ ruina tandem reſtinctum eſt, pace in Vueſtphaliæ finibus conciliata, vbi, quæ Pragæ antea conuenerant, pleraque omnia immutata ſunt. Conſtiterunt tamen, quamuis nihil noui commodi adipiſcerentur, ſua commoda Saxonibus, quæ ex Pragenſi pactione perceperant, et optimus Princeps cum in vtriusque Luſatiæ, tum vero etiam in poſſeſſione Magdeburgenſium præfecturarum omnino permanſit.

Ac primo quidem, quod ad noſtras Luſatias attinet, datæ iſtæ ſunt Iohanni Georgio I. hisce conditionibus: *Die Abtretung und Belehnung beyder Marggrafthümer wird Ihro Churfürſtl. Durchlauchtigkeit verwilliget vor Sich, und Dero männliche Leibes Lehns Erben Ihres Churhauſes, dergeſtalt: daſs, wenn Gott über I. C. F. D. von Todes wegen gebiethen würde, ſo ſollen Ihrer C. F. D. in ſolchen beyden Marggrafſchafften ſuccediren Dero männliche Leibes Lehns Erben Ihres Churhauſes; und auf gänzliche Erlöſchung derſelben*, quod omen Deus Immortalis auertat! *die Herzoge zu Sachſen Altenburg, männlichen Geſchlechts, in abſteigender Linie; vnd, wenn dieſe nicht mehr wären, Seiner Churfürſtl. Durchl. als primi Acquirentis, geliebte eheleibliche Töchter, die itzt im Leben ſeyn, ſammt vnd ſonders, oder, da dieſelben ſammt vnd ſonders den Anfall nicht erlebten, der von ihren Leibern poſterirende Mannsſtamm, alſo, daſs ieder Tochter alsdann ſich im Leben befindender ganzer Mannsſtamm ſeinen Antheil, nicht iuxta capita, ſondern iuxta ſtirpes, genieſſen, beyde Marggrafthümer aber dadurch nicht getheilet, ſondern vnter einer geſambten Regierung gelaſſen werden ſollen.* Excerpſimus iſta ex ſingulari pacto de vtraque Luſatia CIↃIↃCXXXV. quæ ſequuntur, et breuitatis cauſſa, et quia nota omnibus videntur, neque admodum pertinere ad rem propoſitam, omnino prætermittenda pu-

taui-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-279148-p0004-5

rauimus. In eandem ſententiam, et iisdem verbis propemodum in litteris primæ *inueſtituræ* CIↃIↃCXXXVIII. perſcriptum facile inueneris.

Ergo dedit operam prouidentiſſimus Princeps, vt hoc nouum ius altas quaſi radices ageret in ſua Domo, atque etiam propagaretur, vtque in Luſaticas opes, ſi præter ſpem accideret, filiis poſſent Altenburgenſes, quibus mirabiliter fauebat, cuius rei cauſſas alio loco expoſuimus, Altenburgenſibus filiæ, filiabus mares prognati ex iisdem, denique ſuccedere. Habuit autem, vt ſupra diximus, filias numero tres, Sophiam quidem Eleonoram, Mariam Eliſabetham, et Magdalenam Sibyllam, quarum illa in Darmſtadienſem, iſta in Gottorpienſem, hæc in Altenburgenſem Domum, innupſerunt, et ſuum quæque maritum prole maſcula parentem fecerunt. Quod autem iuris conſecutæ in Luſatias ita fuerant, id aliquanto magis firmatum eſt poſterius, cum primo ipſæ, deinde etiam poſteri earum *inueſtituræ* fierent participes Luſaticæ, et, vt loqui ſolent, in *ſimultaneam inueſtituram* admitterentur. Vtramque rationem in Annalibus declarat Iohannes Sebaſtianus Müllerus, quo auctore CIↃIↃCLX. legati Saxonici Leopoldo I. iuris iurandi fidem ob Luſatias præſtiterunt hoc ordine:

Martisburgenſis. Electoralis II. Electoralis I.
Numburgenſis. Magdeburgenſis.
Altenburgenſis.
Schrümpffius, actor filiarum El.

Idem officium erga eundem Imperatorem repetitum CIↃIↃCLXXXVII. At enim cum interea temporis Altenburgica Domus eſſe deſiſſet, tresque illæ ſorores diem obiſſent ſuum, in locum ſic vacuum factum Darmſtadienſes et Gottorpienſes ſucceſſerunt, vt ſchema deſcriptum oſtendit hocce modo:

Martisburgenſis. Electoralis III. Electoralis II. Electoralis. I.
Numburgenſis. Vueiſſenfelſenſis.
Gottorpienſis. Darmſtadienſis.

Hactenus de Luſatiis. Sequitur, vt nunc ad quatuor dynaſtias, quo nomine eas Vueſtphalici pacificatores appellant, deinceps veniamus. Ac Magdeburgenſis quidem ampliſſima regio, quæ ante CIↃIↃCXXXXVIII. perpetuo Archiepiſcopis paruit, eiusmodi eſt, vt nulli nec vbertate agrorum, nec ſalis copia, neque magni fluminis opportunitate concedat: quæ bona, cum facile fieri poſſe videretur, vt externorum Principum animos ſollicitarent, eisque iniicerent iſtius terræ cupiditatem, ſumma ſemper cura ac prouiſione cauerunt Canonici, ne Miſniæ quidem atque Brandeburgi Marchionibus ad iſtum honorem aditus pateret. Neque vero inde a primordio vſque ad Caroli V. imperium, ſub quo huius Germaniæ facies mire conuerſa eſt, plures, quam bini ex vtraque Domo, Præſules rem Parthenopolitanam obtinuerunt, ſcilicet Ludouicus atque Erneſtus ex noſtris, ex Brennis vero Ericus et Albertus, cuius Alberti omnes ſucceſſores eiusdem gentis fuerunt vſque ad iſtam turbam et confuſionem rerum omnium. Quo tempore cum Archiepiſcopatus verſaretur in maximo periculo, ad Iohannem Georgium I. præpotentem tunc Principem, confugiebant, opem ab eo atque auxilium petentes, et, quo minus cedere ſuis precibus dubitaret, Auguſtum, filium eius deiecto Chriſtiano Vuilhelmo ſufficiebant. Diſplicuit conſilium Ferdinando II. eoque ſuum Leopoldum Vuilhelmum magna vi Magdeburgenſibus obtruſit. Enimuero, reconciliata Imperatoris voluntate, haud difficulter impetratum eſt, vt nonſolum Auguſtus eo eſſet loco, quo fuiſſet, ſed vt quatuor etiam eius agri præfecturæ, ſitæ illæ maiorem partem in media Saxonia, Saxoniæ Pragenſi pace contribuerentur: quod factum eſt tribus annis poſt in comitiis Calbenſibus, et tandem Principum bello illo tetro miſeroque defeſſorum auctori-

Hc 3654 M

ctoritate confirmatum. Vocabula iſtarum dynaſtiarum, quæ hodieque, excepta Burga, noſtræ ditionis ſunt, nemo ſane eſt, qui diſcere a nobis cupiat. Augebatur ergo Saxonica potentia non contemnendis acceſſionibus, et ita quidem, vt et filiæ Electoris, qui iſta præclara pepererat, in ſpem amplioris fortunæ venirent. Rem demonſtrant verba, quæ ex pactionis formula huc transtulimus: *Es werden obige 4. dem Erzſtifft Magdeburg einverleibte Aemter Seiner Churfürſtl. Durchl. dergeſtalt übergeben, abgetreten, vnd zugeeignet, daſs die von gedachtem Churfürſten poſterirende männliche Leibes Lehns Erben, neben denen Churfürſtlichen Töchtern, ſo itzo am Leben, vnd ſelbigen männlichen Leibes Lehns Erben, wie auch denen Herzogen zu Sachſen Altenburg, vnd deroſelben ſämmtlichen Erben und Nachkommen, vnd zwar auf ſolche Maaſse, daſs die Töchter, vnd dero Kinder in ſolche Aemter nicht iuxta capita, ſondern iuxta ſtirpes, ſuccediren, ſelbige auch zu einem rechten Erzſtifftiſchen Mannlehn beſitzen vnd gebrauchen.* Nexum *feudalem*, cuius hic fit mentio, citeriora tempora diſſoluerunt. Namque CIↃIↃCLXXXVII. conſentiente Brandeburgico, Querfurtenſis Principatus Germanico Imperio prorſus ſubeſſe cœpit, et anno ſequenti Iohannes Adolphus I. Vueiſſenfelſenſis in poſſeſſionem iſtarum terrarum ab ipſo Imperatore admiſſus eſt. Ceterum autem ſtemma filiarum Iohannis Georgii I. cum nobis mire ad illuſtrandam hanc quæſtionem facere videretur, apponendum eſſe infra iudicauimus.

IOHANNES GEORGIVS I. Elector Saxoniæ,
n. 1585. maritus Magdalenæ Sibyllæ, † 1656.

SOPHIA ELEONORA n. 1609. vxor Georgii II. Darmſtadienſis, † 1671.		MARIA ELISAB. n. 1610. vxor Friderici III. Gottorpienſis, † 1684.	MAGDALENA SIBYLLA n. 1617. vxor Frider. Vuilh. II. Altenburgenſis, † 1668.
LVDOVICVS VI. Darmſtadienſ. n. 1630. † 1678.		CHRISTI. ALBERT. Gottorp. n. 1641. † 1694.	FRIDERIC. VVILH. III. Altenburg. n. 1657. † 1672.
LVDOV. VII. Darmſt. n. 1658. † 1678.	ERNEST. LVD. Darmſtadienſis, n. 1667. † 1739.	FRIDERICVS IIII. Gottorpienſis, n. 1671. † 1702.	
	LVDOV. VIII. Darmſt. n. 1691. † 1768.	CAROLVS FRIDERICVS, Gottorpienſis, n. 1700. † 1739.	
	LVDOVICVS VIIII. Darmſt. n. 1719.	PETRVS III. Ruſſorum Imperat. n. 1728. † 1762.	
		PAVLVS PETROVVITSCH, Imperii Ruſſici heres. n. 1754.	

Secundum ea deſcendamus ſane de faſtigio Principum ad humilitatem noſtram, et ad memoriam priuati Viri, quæ conſeruata iam diu, ſuam ſemper apud nos religionem obtinebit. Ita enim meritus eſt Optimus Plazius, cuius erga ſe voluntati hæc noſtra ſchola ampliſſimum atque iucundiſſimum munus bonorum librorum quotannis debet: quam liberalitatem vt omnes fere dies in ore atque amore habemus, ita eam cras publice prædicabunt, qui eius munificentiæ nunc quidem facti ſunt participes,

Johannes Gottlob Müller, Sohland. Luſatus.
Johannes Georgius Barth, Hoyerſuuerda. Luſatus.
Godofredus Erneſtus Bœhmer, Budiſſenſis.

Eo actu transacto priores duo contexere extrema cum primis cogitant, et quia omne tempus honeſte apud nos laudateque exegerint, etiam honeſte exire hinc in Academiam. Sciunt quidem, tantum ſe debere Magnifico Senatui, et Præceptoribus, quantum difficile valde eſt, perſoluere; nihilo minus tamen eam rationem diſcedendi multis credunt, non iniucundam futuram eſſe, ob id ipſum, quod grati ac memores beneficiorum eſſe videbuntur. Digredientes inſtituto ſcholaſtico proſecuturi ſunt

Iohannes Fridericus Kaplerus, Budiſſenſis. Chriſtianus Godofredus Strizelius, Budiſſ.
Traugott Leberecht Schneider, Budiſſ. Dauides Henricus Indinger, Budiſſ.

Ad omnes iſtos beneuole audiendos, Magnificum Vrbis Senatum, ceteroſque laudum noſtrarum Fautores Egregios ſumma humanitate atque obſeruantia inuito, ac plane ſpero, Eos ita facturos, vt intelligant noſtri diſcipuli, tantum amari a Viris Doctiſſimis atque Honeſtiſſimis hanc ſcholam, quantum ipſe exiſtimo.

P. P. Budiſſæ, die I. Maii, CIↃIↃCCLXXVIIII.

h1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-279148-p0006-6

ULB Halle 3
007 652 011

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-279148-p0007-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-279148-p0008-7

L. 2, 89.

Vc 3654

DE

IOH. GEORGIO I. FILIARVM RATIONIBVS

PRAGENSI FOEDERE PROVIDENTE

DISSERIT,

AD

S GOTTLOB

AZII,

I HVIVS LVSATIAE

AM MEMORIAM,

ↄIↃCCLXXVIIII. A II.

VRBIS SENATVM,

LAVDVM NOSTRARVM

S EGREGIOS,

ATE, PARI OBSERVANTIA

NVITAT

S HIEREMIAS ROSTIVS,

CTOR.

ISSAE,

NNAE ELEONORAE SCHOLZIAE

BIBLIOTHECA PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-279148-p0009-6